

triculo sursum ad caput ascendentes, frigiditate cerebri condensantur, & in humorem aqueum transeunt.

XXXIII. A nonnullis quoq; *venti* inter causas efficientes pluviae numerantur, quorum aliqui nubes dissipant, alij cogunt & ex iisdem coactis motu suo aquas excutiunt. *Conimbr. tract. 7. c. 1. f. 60.* Et hanc causam esse putant, quod in *Aegypto* rari admodum imbres existant, quia flatus *Austri* (qui maximè *ventus pluviosus* dicitur) vix aut planè non eò pertingit; teste *Philosopho in problem. sect. 26. qu. 47.*

XXXIV. Duplex hìc occurrit *questio*, quam intactam pratermittere nolimus: *an nim. Diabolus pluvias & tempestates ciere possit?* & deinde *numquid striges & veneficae magicis suis incantationibus eas producere possint.*

*An diabolus possit ciere pluviam.*

XXXV. Quòd diabolus possit excitare pluviam, aliqui obstinatè pernegant, judicantes: Cacodæmonem, utpote bonum Astronomum, animadvertere venturam pluviam, atq; tunc persuadere mulierculis sibi addictis, ut hac vel illà ratione pluviam sibi producere videantur.

XXXVI. Illi tamen parùm videntur perpendere illud *Pauli Ephes. 2. 2. & cap. 6. 12.* quando *Diabolus* dicitur *ἀρχὴν τῆς ἐξουσίας τῆς ἀέρος*, princeps, cujus potestas est in aere; neq; veritati hoc contrarium esse putamus, si eundem pluvias inferre posse crediderimus. Cùm enim alia possit plurima, quæ rationis nostræ captum excedunt, quomodo non possit ea, quæ naturali modo fieri solent?

XXXVII. Etenim spiritus est potentissimus: duplici tamen ratione impeditur, quò minus quicquid lubet efficere valeat: 1. quidem, cùm finitæ sit substantiæ: 2. cùm idipsū quod potest, etiā DEO inhibente non possit. Jam verò, DEO permittente, quid Diabolus possit, dispiciendum est.

XXXVIII.